



Non elogium, sed historiam querit inclita Friderici uirtus; nec patitur compendium, quod diuturnitas imperij eius scriptoribus argumentum præbet. Redierat nuper ab oriente Fridericus fortis Ernesti filius, qui paterno exemplo sacrum solum inuiserat; cum Principes in comitijs iuuenem ad modum illum Imperatorem declarant huius nominis quartum. Emicuit ille statim Austriacæ lucis tamq̃ radius quidam, ostenditq̃ se a domino pacis, et ueritatis uenisse. Pacem attulit ex Christi testamento; ueritatem coluit ex Christi præcepto. multas quidem et præclaras ex genere dotes, multa ex libera educatione attulit bona; sed quæ accepta Deo reuoluit, longe plura ipsi sunt, et illustriora. Vincit enim diuinitas in Principibus uiris ordinariam naturæ, et institutionis facultatem. Diuitem pacis Friderici nomen Germanico sonat Idiômate; Diuinitus illi hoc nomen obligit; uberrimos quippe pacis fructus gentibus attulit. Bella quidem aut pronocantes mouere, aut lacessiti repellere solemus; in utroq̃ genere ut cunq̃ iusta ratio subeat, ira succenditur; animus commouetur; necessitas urget; pericula imminet; scelera perpetrantur; omnia perturbantur. At pacem, et pacis officia cum dignitate præstare, nihil occidit, nihil dissolute agere, ius æquum dicere, litium causas præcidere, dissidentes animos conciliare, artes alere, religionem promouere, diuina munera sunt. Hæc Imperatoris huius studia, hæc artes fuisse; oppressos subleuauit; bonos tutatus est; populos seruauit; Principes titulis honestauit; Imperium ornauit; Ecclesiam debita, et propria imperatoris protectione fouit. et (quod mirum, et rarum est) quod armis, et uiribus alij obtinere non possunt, ille pacifici opinione, et re consequutus est; ut a cunctis Italiæ Principibus summa beneuolentia, et munificentia in proprijs ciuitatibus exciperetur.

Obijt anno chr. MCDXCIII. Imp. LIIII. ætatis sue LXXX. tribus filijs orbatus, solo Maximiliano, qui in imperio successit superstiti, ex Leonora Edoardi Lusitanicæ Regis filia natis.